

sensus, vel perceptio, vel volitio, vel vita tribuenda est, nam nec organa habentur in omnibus, apta ad fines illos, nec actiones apparent, quae illas facultates supponerent, sed omnis activitas naturalis anorganicorum sufficienter explicatur per principium intrinsicum necessarium, ab auctore naturae inditum (*S. Thom.* qq. disp. 22 — verit. a. 1. ad 2. — op. de princ. nat. — in l. 2 phys. c. 1).

CAPUT II.

DE NATURA MUNDI.

Analytice procedentes mundi phaenomena varia primo consideravimus, ex quibus jam logice ad causas assurgentes, per modum conclusionum naturam mundi deducemus. Duplex autem haec potest mundi inspectio esse; singulorum enim corporum naturam, vel totius mundi in complexu constitutionem inquirere possumus. Unde hujus capituli prima divisio erit:

Sectio 1. De natura corporum.

Sectio 2. De mundi constitutione.

SECTIO 1.

DE NATURA CORPORUM.

Atque de hac duo disputanda sunt; scilicet corporum distinctio realis numerica contra monistas seu pantheistas tuenda est, ac deinde eorum distinctio specifica realis defendenda et explicanda venit.

Quaestio 1. De corporum distinctione numerica.

Quaestio 2. De corporum distinctione specifica.

QUAESTIO 1.

De corporum distinctione numerica, seu de pantheismo.

Propositio 40.

Pantheismus universim inspectus non solum gratuito asseritur, sed theoretice et practice absurdus est.

Notiones. 1) *Pantheismus (monismus)* est doctrina philosophica, juxta quam res omnes mundanae identificantur cum Deo in una eademque substantia seu in una eademque realitate.

2) Dividitur pantheismus:

emanasticus — — omnes res ex substantia divina, facta divisione vel diffusionem, velut partes vel radios, emanasse.

immanens — — res omnes esse totidem formas seu phaenomena, in quae substantia divina immanente activitate se explicet, et sub quibus se manifestet.

idealis — — (negans realem existentiam, etiam mere phaenomenalem, mundi exterioris): omnem immanentem evolutionem substantiae divinae esse mere idealem; ita ut solum prout est mens seu subjectum cogitans, essentia divina se evolvat in formas varias et multiplices, i. e. eas sibi cogitet.

realis — — (affirmans realem existentiam, licet mere phaenomenalem, mundi exterioris): immanentem evolutionem esse realem; ita ut se evolvat essentia divina etiam prout est natura seu objectum cogitabile, i. e. evolvat objectum cogitatum, ipso facto quod Deus seipsum ut objectum cogitet.

3) *Pantheismus emanasticus melius* refutatur in theologia naturali, ubi de simplicitate Dei. — *Pantheismi immanentis* sive realis, sive idealis, duo praecipua dogmata sunt:

a) *identitas universalis*, realitatis, esse, substantiae absolutae, necessariae, aeternae, infinitae;

b) *evolutio immanens et fatalis* hujus substantiae absolutae, in formas multiplices (modos, manifestationes, phaenomena, aspectus, positiones infiniti...) quarum singuli complexus dicuntur: momenta infiniti, vel absoluti.

4) Unica identica illa omnium realitas est ratio entis indeterminatissima, universalissima (confundendo ens abstractissimum cum ente realissimo...); vocaturque *ego purum*, *ego transcendentale* (Fichte), — *indifferentia differentium* (Schelling), — *identitas τοῦ esse et τοῦ non esse, seu positionum et contrapositionum*, id est contradictoriorum (Hegel).

5) Lex evolutionis hujus est: *per relativam sui sibi oppositionem*, qua seipsum limitat seu determinat... Unde duplex aspectus: a) *absolutus* (quem apprehendit intuitus rationis purae), et sic omnia sunt unum, — b) *relativus* (quem apprehendit ratio empirica, seu intellectus), et sic sunt plura, finita, mutabilia, contingentia...

6) Deus jam non est nisi illud absolutum, impersonale..., quod se evolvens... in ratione humana ad conscientiam sui et personalitatem pervenit.

Prob. 1^a pars (gratuito asseritur). Nec immediate evidens (sive ex immediata experientia, sive ex intuitu rationis), — nec mediate evidens, nec probabilis (Cfr. object...).

Prob. 2^a pars (theoretice absurdus). 1^o *Quoad identitatem universalem.* Quoad Deum necessarium, infinitum, immutabile..., et mundum contingentem, finitum, mutabile..., sunt attributa contradictoria; item quoad res

mundanas inter se...; *a.* haec contradictio in Pantheismo esset sub eodem respectu; *e.* tollitur principium contradictionis, per eorum identitatem.

Ad maj. Concedunt Pantheistae Deum esse absolutum, infinitum, etc. — Res mundanae inter se differunt determinationibus genericis, specificis, individuantibus, sibi invicem contradictorie, vel contrarie, vel privative oppositis...

Prob. min. 1 part. (de Deo et mundo). Illud quod apud Pantheistas in relatione sibi ipsi opponitur, ac proin utrisque terminis correlatis, qua correlatis, subest, est impartibilis realitas infinita!

Prob. min. 2 part. (de mundanis). Supponitur: 1) omnes multiplicativas et distinctivas determinationes rerum esse relativas; — 2) omnem negationem includere essentialiter a parte rei positivam realitatem oppositam; — 3) omnem oppositionem et relationem esse meram negationem; — *a.* a) haec sunt falsa; — b) et secundum haec ipsa supposita sequeretur omnem differentiam et oppositionem rerum esse secundum eandem realitatem unam, i. e. sub eodem respectu; *e.*

2° *Quoad evolutionem immanentem fatalem.* Absolutum Pantheistarum est, secundum se, nuda potentia ad varias determinationes...; *a.* repugnat principio causalitatis, aliquid se solo, sine causa, transire de potentia in actum, et determinare se; *e.*

Objic. Determinationes illae non sunt novae realitates, sed apparentes limitationes seu negationes realitatis jam praehabita ex relativa oppositione... — *R.* a) determinationes istae juxta Pantheistas superveniunt τῶν esse, non limitative, sed additive; — b) juxta eosdem, esse absolutum est pura potentia ad omnia, ergo in actu nihil; ergo nihilum purum est infinitus fundus omnium realitatum; qui vi sua ad existentiam emergit, et per hanc suam existentiam nihil acquirit realitatis, sed dumtaxat intra semet ipsum diversimode limitatur (quod fatetur Hegel!).

Prob. 3^a pars (practice absurdus). Sequuntur: atheismus, materialismus, fatalismus; — tolluntur: immortalitas personalis, et discrimen intrinsecum inter honestum et inhonestum; — *a.* ita nulla manet moralitas; *e.*

Objic. 1° Substantia est id quod in se est (in cujus conceptu non includitur conceptus alterius); *a.* in conceptu omnis effectus includitur conceptus ejus causae; *e.* substantia nequit esse effectus ullus, sed solum ens incausatum. — *R. d. maj.* ... alterius ut subjecti cui inhaereat, *c;* ut causae efficientis a qua dependeat, *sd.* non includitur, i. e. formaliter excluditur, *n;* non necessario formaliter includitur semper, *c;* — *tr. min.* — *d. cons.* nequit esse effectus causae efficientis, *n;* nequit esse inhaerens in alio tanquam in subjecto suo, *c.* (*aliis verbis*: debet esse ens in se, non in alio, *c;* ens a se, non ab alio, *n.* — Cfr. ontolog. de subst.).

Objic. 2° Substantia producens aut habet omnes easdem notas ac substantia producta, aut non; *a.* si primum non distinguuntur et sunt unum; si secundum, non potuit dare quod non habet, et repugnat productio substan-

tiae. — *R. d. maj.* easdem numero, *n;* easdem specie, *sd.* semper formaliter, *n;* sive formaliter sive virtualiter sive eminenter, *c.* — *c. d. min.*

Objic. 3° Ex nihilo nihil fit. — *R. d.* ex nihilo ut materia praesupposita (ut ex causa materiali), *c;* ex nihilo, ut termino a quo, *sd.* loquendo de causis secundis, *c;* de causa prima, *n.* (haec causat sub ratione essendi, ut sic).

Objic. 4° Cogitatum, ut possit apprehendi, debet cogitanti identificari; nam mens extra se nequit exire ad comparandas suas repraesentationes; *e.* periret veritas, ac certitudo. — *R. n. ass.* — *n. supp. prob.* [sufficiunt a) quoad res externas: actio et passio mutua... b) quoad Deum: res externae quibuscum habet connexionem...].

Objic. 5° Ope ratiocinationis a posteriori nequeunt transcendere fines experientiae sive internae sive externae, et attingi absolutum mediate; *e.* absolutum immediate attingi debet; *e.* identificatur cum cogitante. — *R. n. singula* (Cfr. ontol. et psychol.).

Objic. 6° Ratio distinctionis realis rerum, essent variae entis determinationes, et quidem aut per aliquid reale et positivum superadditum rationi entis, aut per aliquid mere negativum; *a.* primum repugnat: reale non ens; — ac secundum (nam de unaquaque re universaliter et absolute concepta, intelligitur totum illud ens quod repraesentatur in notione universali entis; ita ut huic comprehensioni nihil desit). — *R. d. maj.* superradditum per modum determinationis intrinsecae, vel per modum compositionis, *c;* non nisi per modum compositionis, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 7° Idea universalis entis repraesentat esse de rebus ut unum aliquid et idem in omnibus; *e.* et objective ita est. — *R. d. ant.* ut unum numero idem, *n;* ut unum specie idem, *sd.* idem univoce, *n;* analogice, *c.* (Cfr. ontolog.).

Propositio 41.

Pantheismus Eleaticus speciatim inspectus, absurdus est.

Stat. quaest. 1) Praeter ea quae omni Pantheismo communia et essentialia sunt, schola Eleatica, Magnae Graeciae (Xenophanes, Parmenides, Melissus, Zeno) arguebant ex impossibilitate verae ac realis effectiois sive creativae sive transformativae, et ex notione Entis ut sic, unum esse Ens in omnibus identicum, omnem vero in rebus varietatem esse mere phaenomena, illusiones sensuum, varias limitationes et finitos aspectus unius Entis, ac proinde esse *non entia*.

2) Igitur praeter argumenta generalia contra omnem pantheismum valida, superius data, adduntur hic et in sequentibus quae particularia contra singula systemata valent.

Prob. Nititur pantheismus Eleaticus 1) confusione inter notiones valde distinctas; 2) principiis falsis et contradictoriis; 3) argumentatione sophistica; *e.*

Ad ant. Cfr. infr. objectiones.

Objic. 1° (Xenoph.) Si quid fieret, fieret a) aut ex nihilo, b) aut ex aliquo sui simili, c) aut ex aliquo sui dissimili; — a. a) ex nihilo nihil fit; — b) in sui simili jam praecontinetur, e. non fit; et redit quaestio in infinitum; — c) ex sui dissimili fieri, esset fieri ex aliquo non proportionato, non praecontinente, ac proinde ex nihilo; — e. nihil fit, sed omnia sunt unum. — R. d. maj. a) ex nihilo ut ex materia, n; ex nihilo, i. e. esse aliquid inciperet, quod antea erat nihil, c; — tr. maj. b) et c) — c. d. min. a) — d. min. b) praecontinetur numerice, n; specificè vel generice, c; — n. cons; — d. min. c) non praecontinente numerice, nec specificè, nec generice, c; non eminenter vel virtualiter, n; — n. cons.

Objic. 2° (Parmen.) Cogitare non invenitur sine esse; e. sunt idem. — R. c. ant. — n. cons.

Objic. 3° Omnia quae sunt, possunt cogitari; a. cogitari non possunt nisi sint in mente, et proinde unum; e. — R. c. maj. — d. min. a) nisi sint in mente quoad suam existentiam, n; quoad effectum a se causatum in subjecto percipiente, c; — d. min. b) unum i. e. identicum in essendo, n; sufficienter conjuncta cum cogitante, c. (Cfr. organolog.).

Objic. 4° (Meliss.) Si essent plura, unumquodque esset aliis oppositum; a. repugnat ens enti opponi; e. — R. tr. maj. — d. min. ens particulare enti particulari..., n; ens ut sic enti ut sic praeciso, c.

Objic. 5° Ens est perfectissimum; e. debet esse omnia. — R. d. ant. ens absolutum, c; ens ut sic, praecisum, n. — d. cons. ens ut sic, debet esse omnia, n; ens absolutum, sd. debet esse formaliter omnia, n; eminenter, virtualiter, c.

Objic. 6° (Zeno) Multa essent simul finite multa (quia tot sunt, quot sunt), et infinite multa (quia inter quaelibet duo assignabilia ens tertium interjacet, et sic in infinitum); e. repugnat entium multiplicitas. — R. n. ant. — ad rat. add. 2. d. ens tertium actu discretum et numerum efficiens, n; pars entitative diversa et assignabilis, c.

Objic. 7° Multa essent infinite magna (quia infinite multae partes magnae), et simul infinite parva (quia singula in infinitum divisibilia, unde partes singulae infinite parvae); e. repugnat entium multitudo. — R. n. antec. — ad ration. add. a) n. supp. (esse infinite multas illas partes actuales) — ad rat. add. b) n. supp. (esse partes illas actuales); et n. aliud supp. (fore illas partes aliquantas vel aliquotas).

Propositio 42.

Pantheismus Spinozianus speciatim inspectus, absurdus est.

Stat. quaest. Spinoza substantiae definitionem Cartesianam assumit: ens ita existens, ut nullo alio indigeat ad existendum. Hanc evolvens dicit, substantiam esse ens quod per se est, et per se concipitur, seu: cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a qua efformari debeat; — ergo unam

esse substantiam possibilem, divinam; cetera esse ejus affectiones, modos. — Haec substantia est *natura naturans*; et isti modi, ac modi modorum, etc... sunt *natura naturata* ab efficiente Dei virtute seipsam evolventis absoluta naturae suae necessitate.

Prob. Spinoza in suo systemate adornando, 1° absurda praesupponit, quibus totus processus nitatur; — 2° absurda asserit, ex quibus reliqua deducit; — 3° eadem concludit quae per petitionem principii praesupposuit; — 4° absurda statuit suae doctrinae capita praecipua; e.

Prob. ant. 1 part. Spinoza *supponit*: 1) ens in se idem esse ac ens a se, — 2) omnem causalitatem esse immanentem, — 3) modum et ordinem nostrorum conceptum esse eundem ac modum et ordinem rerum; — a. haec sunt falsa et absurda (cfr. ontol. et log.); e.

Prob. ant. 2 part. Spinoza *asserit*: 1) substantiae divinae, simplicis et indivisibilis, attributum naturale esse extensionem; — 2) essentiam divinam, infinitam in omni realitate, sese evolvere in totalitatem rerum mundanarum, — 3) rem finitam et singularem produci ab alia re producta et singulari, sed totam seriem infinitam rerum finitarum productarum, esse improductam; — a. haec sunt absurda; e.

Prob. ant. 3 part. Spinoza *concludit*: 1) substantiam produci non posse; — 2) omnem causalitatem esse immanentem; — 3) connexionem et ordinem rerum esse eundem ac connexionem et ordinem conceptuum; — 4) omne quod est determinatum esse accidens alicujus minus determinati; — a. has omnes conclusiones ipse clam posuerat in definitionibus unde demonstrationem orditur; — e. petit principium.

Prob. ant. 4 part. Spinoza *statuit*: 1) attributa non esse modos efficienter procedentes a divina substantia, sed iis divinam essentiam constitui; — et simul: unumquodque attributum concipi per se et seorsim ab aliis attributis, ac proin attributa divina formalibus suis conceptibus differre; — et simul: singula corpora non esse nisi modos quosdam extensionis divinae; — a. in his est contradictio; e.

2) Divinam essentiam, *utpote infinitae realitatis*, complecti intra se infinita attributa, tanquam sua constituentia; — et simul: omnem determinationem esse *negationem*; — et simul: ex unoquoque attributo, *utpote attributo infinito*, efficienter procedere infinitos modos et modos modorum; — a. in his est contradictio; e.

3) Quodvis singulare efficienter procedere ab alio singulari, non tamen esse ejusdem modum; — et simul: infinitam seriem singularium esse modos divinae substantiae, non tamen ab ea efficienter procedere; — et simul: notam effectus et notam accidentis formaliter inter se converti; — a. in his est contradictio; e.

Propositio 43.

Pantheismus transcendentalium speciatim inspectus, absurdus est.

Stat. quaest. 1) Kantii discipuli ejus formas subjectivas supponentes, intimam naturam ignoti X inquirentes, identitatem concludunt objecti cogitati cum subjecto cogitante, et proinde omnium rerum. Scilicet ens absolutum se evolvit solum prout est res cogitans.

2) Quod *explicat Fichte* : ens, seu ego absolutum, cogitando opponit se sibi ut objectum non ego, se evolvit in innumera objecta, et agnoscit suam cum isto non ego identitatem; haec vocat thesim, antithesim, synthesim; vocaturque systema *idealismi subjectivi*.

3) Idem *explicat Schelling* : ens, seu ego absolutum, cogitando ponit se *idealiter* ut innumera subjecta ego, et simul se sibi opponit ut innumera objecta non ego; videtque immediata evidentia identitatem absolutam horum omnium, et extra hanc identitatem esse nihilum : vocaturque systema *idealismi objectivi*, seu *identitatis oppositorum*, seu etiam *philosophiae naturalis* quia concludit totam naturam rerum unica anima animari, ac proinde totum mundum unum esse organismum.

4) Idem *explicat Hegel* : ens absolutum, i. e. notio entis indeterminatissima, processu *dialectico* seu *logico*, sese evolvit, ex se exiens tanquam natura, et in se revertens tanquam spiritus. — Aliis verbis : ens absolutum, i. e. ratio abstractissima ab omni subjecto contemplante et ab omni objecto contemplabili, per suam potentiam negativitatis (i. e. limitationis et oppositionis) et per activitatem dialecticam, se ponit, et se negando (limitando) sibi opponit ut alterum distinctum; sed quia negatio includit positivum negatum, videt identitatem inter haec distincta; et sic alternatim omnimode sese ponendo, negando, identificando, est in perpetuo *feri*; vocaturque systema *pantheismi logici*.

Prob. Principia transcendentalium primaria sunt : 1) ordinem nostrorum conceptuum esse eundem ac ordinem rerum; — 2) omnia quae sive sensibus sive intellectu apprehenduntur, non esse nisi phaenomena subjectiva absoluti Ego; — 3) universaliter formaliter sumpta existere a parte rei; — 4) totam activitatem absoluti Ego ita esse sitam in vi cogitandi, ut objecta cogitando producat, et producendo cogitet; — 5) intuitionem immediatam intellectualem apprehendi absolutum, et identitatem contradictoriorum; — 6) ordinem idealem et ordinem realem esse unum identicum; — 7) actum cogitandi in absoluto, non solum entitative, sed etiam terminative identificari cum motu dialectico illo quo evolvetur absolutum; — *a.* in his omnibus plurima sunt absurda; *e.* (cfr. logic. et ontolog.).

Schol. Post pauca illa et generaliora circa pantheismum dicta, et particularia breviter de praecipuis pantheistarum systematibus, non est cur longius ac minutius varios plurimorum errores prosequamur. Sunt enim nimio numero simul et nimia obstinatione fere inaccessibiles; neque plene refutari possunt, nisi iterum a primis philosophiae initiis omnia ferme recolendo et discussa firmando.

QUAESTIO 2.

De corporum distinctione specifica, seu de constitutione corporum.

Famosa nunc obvia nobis est, eaque quum olim inter graecos philosophos, tum ultimis hisce duobus saeculis inter scientiarum naturalium cultores, et peripateticos philosophos acriter disputata quaestio de intima natura physica corporum, in mundo qualem nunc creatum habemus.

Est autem haec tantis conatibus disputata, ac quasi cardo philosophiae ab aliquibus tractata, non quidem ideo quod, ut aliqui dicebant, ex ea tanquam ex fundamento evolvantur ac deducantur cetera omnia, neque ideo quod, ut aliis videbatur, ex varia hic admissa quaestionis solutione promoveatur vel impediatur profectus et methodus in scientiis naturalibus, sed ideo quod ea intime connexa est cum omnibus fere logices et ontologicae legibus ac principiis; quorum quum haec conclusio sit una ex magis universalibus, si rejicitur vel mutatur, rejicienda quoque vel mutanda erunt, logica necessitate arguitiva, etiam principia ipsa rationis humanae.

Nolumus igitur in hac tractatione viam argumentandi a priori currere, sed illis nitentes experimentalibus datis ac phaenomenis, quae tum capite superiore expendimus, tum a chemicis insuper nobis subministrata accipimus, a posteriori et analytica methodo, quae et in talibus materiis utilissima, virisque scientiatis recentioribus gratissima esse solet, a factis experimentalibus ad corporum proprietates ut ad causas proportionatas, ab istis iterum ad ipsam corporum naturam et constitutionem intimam metaphysice inspicendam progrediemur. Et quoniam facta ipsa non sufficit obvia habuisse, attente mensuras ac pondera notasse, sed distincto conceptu necesse est aestimasse; quoniam vero eadem haec aestimatio satis raro invenitur etiam apud doctiores viros, sed aut obiter prospecta relinquitur, aut cum systematica interpretatione, confusione quadam, permixta pro factis afferuntur, non quae experientia et observatio docent, sed quae experimentator sibi videre videtur, quae praeconceptum systema confirmant; propterea praemittere oportet facta ipsa nuda experientiae, proximas conclusiones postea connectere, ac tandem ipsam factorum interpretationem seu systematicam naturae corporum explicationem derivare. Dispescatur ergo haec quaestio :

Articulus 1. Perpenduntur facta experimentalia.

Articulus 2. Theoretice explicantur facta.

ARTICULUS 1.

Perpenduntur facta experimentalia.

Propositio 44.

Corpora chemice simplicia sunt specificè diversae naturae.

Notiones. *Chemice simplicia* dicuntur illa corpora quae mediis chemicis

jam in ulteriora elementa resolvi non possunt; *chemice composita* illa quae possunt. — Fit quidem, progressu scientificae experimentationis, ut aliqua corpora, quae pro chemice simplicibus habebantur agnoscantur esse revera composita sive ex aliis jam notis, sive ex aliis quorum aliqua vel omnia essent adhuc ignota; attamen dari plura diversa chemice simplicia, negari vi nullius experimenti potest.

Stat. quaest. 1) Nondum praejudicamus quidquam de specificationis explicatione physica, sed facta solum naturalia in suo complexu inspicimus, eaque dicimus talia esse ut necessario concludenda sit diversitas specifica naturae, quidquid tandem requiratur ut vera sit dicenda specificatio.

2) Atque ita positae thesi nemo chemicus contradicit hodie, sed neque contradicere posset vir non scepticus.

3) Ponitur ergo haec thesis non polemice quasi nunc defendenda ac disputanda, sed potius dogmatice et nunc explicite notanda, ut conclusiones posteriores fundamento firmo nitantur, et ut ne excidat memoria prout non raro usuvenit.

Prob. Corpora varia chemice simplicia, 1) in *identicis adjunctis*, ex *necessitate naturae* agentia, operationibus diversis manifestant proprietates diversas essentielles; — 2) si quando in identicis adjunctis easdem operationes exercent, ita tamen differunt ut aliud eo gradu et modo operetur, quo aliud nunquam potest; — *a.* ex his concludenda est essentialis, seu specifica diversitas naturae; *e.*

Ad maj. Si v. c. comparantur: pondus specificum, calor, electricitas specifica, affinitas specifica, aequivalentia chemica, figura crystallina, status variatio (punctum liquefactionis, vaporisationis), angulus refractionis luminis et caloris, ductilitas, elasticitas, sonoritas, etc.

Ad min. Vi inductionis, ex operationum complexu necessario agnoscitur proprietatum complexus, et ex illo natura quae est ejus radix.

Propositio 45.

Corpus chemice compositum est naturae specificae diversae a suis componentibus.

Notiones. 1) Distinguenda est substantia vere composita ex aliis elementaribus substantiis, quae jam vere una est substantia, indivisum subjectum proprietatum, operationum, et accidentium, a substantiarum aggregatione per mixtionem accidentalem, quae non est una, sed plures substantiae divisaе, contiguae, subjecta varia proprietatum, operationum et accidentium.

2) *Elementa chemica* vocantur illa corpora in quae aliud corpus resolvi potest, quae in alia jam resolvi ipsa non possunt.

Prob. Corpora chemice composita, 1) in *identicis adjunctis*, ex *necessitate naturae* agentia, operationes plane diversas habent atque elementa ex quibus composita fuerunt, vel in quae resolvi possunt; — 2) si quando similes aliquas

habent operationes, ita tamen differunt gradu et modo ut nunquam idem praestare valerent elementa sive singula, sive aggregata accidentaliter; — *a.* ex his concludenda est essentialis seu specifica diversitas naturae; *e.*

Ad maj. Si v. c. comparantur a) proprietates chemicae: affinitas specifica; — b) proprietates physicae: figura crystallina, status variatio (punctum liquefactionis, vaporisationis), angulus refractionis luminis, caloris, ductilitas, elasticitas, sonoritas; — c) proprietates sensibiles, usuales, therapeuticae, etc, compositorum et componentium; v. c. aquae, et hydrogenii atque oxygenii; — salis ordinarii, et chlori ac sodii; — albuminis, et carbonii, hydrogenii, sodii, nitrogenii, sulphuris, atque oxygenii; — acidi nitrici, et oxygenii, ac nitrogenii, et aeris (mixti ex utroque, non chemice compositi); — d) diversa composita isomera, v. c. amyllum, cellulosa, dextrina, glucosa, saccharum: ex carbonio, hydrogenio, oxygenio, et quidem iisdem vel similibus proportionibus, composita.

Propositio 46.

Substantiae elementares in composito remanent in virtute.

Notiones. 1) Distinguendum est esse in actu, esse in potentia, esse in virtute:

a) *in actu* est aliquid in alio, si ipsum formaliter in se constitutum existit, v. c. carnes in cacabo, pullus jam formatus in ovo adhuc contentus;

b) *in potentia* est aliquid in alio, si ipsum formaliter in se non existit constitutum, sed potest ex alio fieri, licet id aliud sit indifferens ad hoc potius quam aliud producendum vel fiendum, v. c. statua Laocoontis in marmore nondum sculpto;

c) *in virtute* est aliquid in alio, si ipsum formaliter non existit, sed potest ex alio fieri quod ex natura sua sit determinatum ad hoc et non aliud producendum vel fiendum, v. c. planta in semine, pullus in ovo recenti.

2) Neque confundi possunt praesentia alterius in altero in virtute, et praesentia alterius in altero virtualiter. *In virtute* inest illud quod formaliter ipsum produci potest et debet ex determinatione naturali continentis; *virtualiter* inest quod non formaliter ipsum produci debet, sed cujus effectibus aequivalentes vel similes effectus producuntur ab alio, v. c. vegetale in animali.

Prob. 1° Certum est, teste experientia, compositum chemicum in eadem ea elementa resolvi posse, ex quibus componi potest, et quidem in ea et non alia, ea proportione et non alia; *a.* sic elementa chemica in composito insunt non quidem in actu, nec in potentia tantum, sed in virtute; *e.*

Ad min. 1 part. (non in actu). Compositum essentialiter differt ab elementis suis etiam collective sumptis.

Ad 2 part. (non in potentia tantum). Compositum non indifferens est ut in ea vel alia elementa, vel alia proportione solvatur.

Prob. 2° Teste experientia, in composito chemico deprehenduntur a) pon-